AENIGMATA SYMPOSII POETAE CUM SCHOLIIS IOSEPHI CASTALIONIS...

Symphosius, Giuseppe Castiglione

ILLVSTRISSIMO D. D. THOMÆ AVALO MARCH. PISCARIÆ FILIO.

Ioſephus Caſtalio S. P. D.

CVM primum ad te inſtituendum acceßi, tenerrimæ iſtius ætatis, valetudinis, imbecillarumq. virium rationẽ habendam mihi putaui. Ergo de breui expeditaq. docendi via, quod res poſtulare videbatur, cogitaui, & optimum quemq. de eo conſului. Quo factum eſt, vt nullo fere labore, aut moleſtia tua tantum paucis menſibus profeceris, vt teq. meq. pœnitere non poßit. Iam vero mihi quæcumq. animo tuo eſſent iucunda perueſtiganti ænigmatis viſus es in primis gaudere, quod acerrimi eſt ſignum ingenij, & præſagium futuræ prudentiæ, qui decimum vix agens annũ obſcurißima quæq. iam vides. Quo in genere condimentum ſtudiorum tuorum ſuauißimum reperiſſe me vehementer ſum lætatus. Siquidem erat apud me in poſtremo Venantij Fortunati codice manuſcripto Sympoſij veteris Poetæ carmẽ

eius generis antiquum, lepidum, eruditum, venuſtum, quod & ipſe, & quam ego ſum in his litteris homines magis exercitati numquam excuſum ſciebant. Itaque illud ſtatim venit in mentem mihi, præclare me operam poſiturum, ſi te ad feſtiuum ſane Sympoſij conuiuium inuitarem, quo ſubamara litterarum rudimenta ea dulcedine quaſi condires, ac ſumeres. Hoc meum conſilium vehementer adprobarunt docti homines, & vero etiam perſuaſerunt, vt primo quoq. tēpore hæc Sympoſii ænigmata tibi dedicata publicarē, ut aliquando Latinum Poetam caſtum, et facetū haberemus, qui tibi, ac per te ceteris proponeretur. Exiguum quidem munus, ſed non ipſa magnitudine, ſed auctoris antiquitate, & offerentis animo æſtimandum. Quo ſi oblectari te ſenſero, grauiora propediem dabo, tecumque adcreſcet etiam induſtria mea. Namque ego, qui ſingulari omnipotentis Dei in me beneficio ab Illuſtriſſimo patruo tuo Cardinali tibi præceptor ſum datus, in eam curam incumbam ſcilicet, vt te, quod quidem poſſim, doctum, eruditumq. quam facillime reddam. Tibi autem enitendum eſt ne maiorum cuiquam tuorum concedas. Magnam domeſticæ laudis, & gloriæ expectationem ſuſtines. Magna ſunt ſanguinis tui nomina,

Ara-

Aragonij Reges, Auali, & Gonzaga Duces fortiſſimi, ac ſapientiſſimi. Quorum te virtutibus atque exemplis excitari conuenit. D. Inicum de Aragona Cardinalem ampliſſimum patruum tuum, virum optimum & prudentiſſimum, in cuius oculis, cura, ſtudio, & pietate creſcis, intuere. Vide quanta in eo ſapientia atq. innocentia eluceſcat. Fratrem habes Vaſti Marchionem abineunte ætate optimis artibus deditum, in cuius ſpem gratiæ verſus aliquot adpoſuimus. Is nunc in Hiſpania, & Luſitania auitam, &, vt ita dicam, hereditariam virtutem ſumma cum laude ſpectandam præbens, te tacitus hortatur, ac monet, ſuis vt veſtigijs inſiſtas. At nomen ipſum tuum eximiæ te cuiuſdam doctrinæ, ac ſanctitatis admonet. Etenim S. Thomæ Aquinatis, at qualis, quantique viri gentilis tui nomen vt geris, ſic virtutes quoq. eius omnes imitere, ac referas, neceſſe eſt. Itaq. quod agis hoc age, & ad ſummam in omni genere laudis præſtantiam contende, atq. enitere. Qua in contentione ludicris his Sympoſij tui verſibus ænigmaticis, animum ſuauiſſime remitte, non numquam, atque honeſtiſſime relaxa. Vale. Romæ pridie Idus Octob. M. D. LXXXI.

AD

AD ILLVSTRISSIMVM ET Excellentiſſimum D. D. Alfonſum Felicem Aualum Vaſti Marchionem.

ALFONSE o Felix atauis ſate fortibus, audes
Fortia iam quorum vincere facta tuis.
Signa ferẽs pubes feſtis Romana diebus
Inſtructas acies explicat vrbe ſuas,
Veſtibuloq. tui patrui, quem purpura velat,
Effigiem belli ludere ſæpe ſolet.
Has quotiens cum fratre tuo ſpectauimus, in te
Scribere mens verſus ardet amore mihi.
Claſſica quæ Martem norunt accendere pulſa,
In laudes agitant pectora noſtra tuas.
Eſt tibi quod Ducis augurium prudentis, & acris,
Omen diuini quod mihi vatis erit.
O mihi ſi detur par rebus ſpiritus olim,
Quas bene pugnando te duce miles aget,
Non ego deſperem numeris æquare priores,
Fata nec expaueam nominis vlla mei.
Nam tua ductores excedet gloria priſcos,
Reſque tibi geſtas fama loquetur anus.
Cui non defuerunt exempla domeſtica laudis,
Ad finem veri nec documenta boni.
Pæne puer ducis officium, parteſq. notaſti

Mili-

Militis, & veterum quód monumenta tenent.
Venatu exercens artus, duranſq. labore
Terribilem dentis fulmine fundis aprum.
Pulueris, & ſolis patiens nunc æquora campi
Vectus equo ſuperas, nunc iuga celſa pedes.
Et modo nudatum fluuios immittis in altos
Corpus, & obſtantes pectore frangis aquas.
Macte iſta virtute noua, Regiſq. PHILIPPI
Auſpicijs parto iungere perge decus.
Sis patre, ſis & auo melior, quem nomine reddis,
Felici Heſperijs edite luce tuis.

Excellentiæ V.

Deuotiſſimus

Ioſephus Caſtalio.

EIVSDEM

ADMODVM ILLVSTR. D. D. Alfonſo Aualo equiti Hieroſolymitano.

TV quoq. Crux, Alfonſe minor, cui candida, ſume
Ludicra Sympoſij ſcripta reperta mihi.
Dumq. tuũ bellis adoleuerit vtile corpus,
Ingenium exercens ſoluere diſce iocos.
Conſilio, virtute, animoq., & viribus vſq.
Auctus eques Melitæ quo tuearis opes.

INCIPIVNT. AENIGMATA SYMPOSII. POETÆ.

HÆC quoq. Sympoſius de carmine luſit inepto
Sic tu Sexte doces, ſic te deliro magiſtro
Annua Saturni dum tempora feſta redirent
Perpetuo ſemper nobis ſolemnia ludo
Poſt epulas lætas, poſt pocula dulcia menſæ
Deliras inter vetulas, puerosq. loquaces
Cum ſtreperet late madidæ facundia linguæ.
Tum verboſa cohors ſtudio ſermonis inepti
Neſcio quas paſſim magno de nomine nugas
Eſt meditata diu, ſed friuola multa locuta eſt
Nec mediocre fuit magni certaminis inſtar
Ponere diuerſa, vel ſoluere quæq. viciſſim.
Aſt ego ne ſolus fœde tacuiſſe viderer,
Qui nihil attulerim mecum, qnod dicere poſſim,
Hos verſus feci ſubito de carmine vocis.
Inſanos inter ſanum non eſſe neceſſe eſt.
Da veniam lector. quid non capit ebria muſa?

G R B P H K X M 1

De ſummo planus ſed non ego planus in imo,

Verſor vtrinq.manu, diuerſo & munere fungor,
Altera pars reuocat, quidquid pars altera fecit.

BRXNDP 2

Dulcis amica Dei, ſemper vicina profundis,
Suaue canens muſis, nigro perfuſa colore
Nuntia ſum lingua digitis ſignata magiſtris.

BNXLXS CXM GFMMB 3

Corporis extremi non magnum pondus adhæſi,
Ingenitum dicas, ita pondere nemo grauatur.
Vna tamen facies, plures habitura figuras.

CLBVKS 4

Virtutes multas de viribus adfero paruis,
Pando domus clauſas, iterum ſed cludo patẽtes.
Seruo domum domino, ſed rurſus ſeruor ab ipſo.

CBTFNB 5

Nexa ligor ferro multos habitura ligatos,
Vincior ipſa prius, ſed vincio vincta viciſſim.
Et ſolui multos, nec ſum tamen ipſa ſoluta.

TEGVLA 6

Terra mihi corpus, vires mihi præſtitit ignis.
De terra naſcor, ſedes eſt ſemper in alto.

† *Eſt domus in alto, ſedes eſt ſemper in alto.*
Et me perfundit qui me cito deſerit humor.

FXMXS 7

Sunt mihi, ſunt lacrimæ, ſed non eſt cauſa doloris
Eſt iter ad cælum, ſed me grauis impedit aer.
Et qui me genuit, ſine me non naſcitur ipſe.

NEBVLA 8

Nox ego ſum facie, ſed non ſum nigra colore.
Inq. die media tenebras tamen adfero mecum,
Nec mihi dant ſtellæ lucem, nec Cintia lumen.

PLXVKB 9

Ex alto venio longa delapſa ruina.
De cælo cecidi medias tranſmiſſa per auras.
Sed ſinus excepit qui me, ſimul ipſe recepit.

GLBCKFS 10

Unda fui quondam, quod me cito credo futurã,
Nunc rigidi cæli duris connexa catenis
Nec calcata pati poſſum, nec nuda teneri.

FLVMEN, ET PISCES 11

Eſt domus in terris, clara quæ voce reſultat,
Ipſa domus reſonat, tacitus ſed nõ ſonat hoſpes,

Ambo ta mē currūt hoſpes ſimul, & domus vna.

N K X 12

Puluis aquæ tenuis modico cum pondere lapſus
Sole madens, æſtate fluens, in frigore ſiccus,
Flumina facturus, totas prius occupo terras.

NAVIS 13

Longa feror velox formoſæ filia ſiluæ
Innumeris pariter comitum ſtipata cateruis,
Curro vias multas veſtigia nulla relinquens.

PVLLVS IN OVO 14

Mira tibi referam noſtræ primordia vitæ,
Nondum natus erā, nec eram iā matris in aluo.
Iam poſito partu natum me nemo videbat.

VIPERA 15

Non poſſum naſci, ſi non occidero matrem
Occidi matrem, ſed me manet exitus idem.
Id mea mors patitur, quod iam mea fecit origo.

T K N F B 16

Littera me pauit, nec quid ſit littera noui.
In libris vixi, nec ſum ſtudioſior inde.
Exedi muſas, nec adhuc tamen ipſa profeci.

ARA-

168

ARANEA 17

Pallas me docuit texendi noſſe laborem,
Nec pepli radios poſcunt, nec licia tela.
Nulla mihi manus eſt, pedibus tamē omnia fiunt.

COCLEA 18

Porto domum mecum, ſemper migrare parata,
Mutatoq. ſolo non ſum miſerabilis exul,
Sed mihi conchilium de cælo naſcitur ipſo.

RBNB 19

Rauca ſonans ego ſum media vocalis in vnda,
Sed vox laude ſonat, quæ ſe quoq. laudet et ipſa.
Cum q. canā ſemper nullus mea carmina laudat.

TESTVDO 20

Tarda gradu lento ſpecioſo prædita dorſo,
Docta quidem ſtudio, ſed ſæuo prædita fato.
Viua nihil dixi, quæ ſic modo mortua cánto.

TALPA 21

Cæca mihi facies atris obſcura tenebris,
Nox eſt ipſe dies, nec ſol mihi cernitur vllus.
Malo tegi terra, ſic me quoq. nemo videbit.

FOR-

FORMICA 22

Prouida ſum vitæ, ſed non ſum pigra labore,
Ipſa ferens humeris ſecuræ premia brumæ. (ſim.
Nec gero magna ſimul, ſed congero multa vicîſ-

MVSCA 23

Improba ſũ fateor, quid enĩ gula turpe veretur?
Frigora vitabam quæ nunc æſtate reuertor.
Sed cito ſubmouear facto conterrita vento.

GVRGVLIO 24

Non bonus agricolis, non frugibus vtilis hoſpes,
Non magnus forma, non recto nomine dictus,
Non gratus Cereri, non paruam ſumo ſaginam.

MVS 25

Parua mihi domus eſt ſed ianua ſemper aperta,
Exiguo ſumptu furtiua viuo ſagina, (bat.
Quod mihi nomen ineſt, Roma quoq. cõſul habe-

GRVS 26

Littera ſum cæli penna perſcripta volantis,
Bella cruẽta gerens volucri diſcrimine Martis,
Nec vereor pugnas, dum non ſit longior hoſtis.

COR-

CORNICVLA 27

Viuo nouem vitas, ſi non me gracia fallit,
Atraq. ſum ſemper, nullo complexa dolore.
Et non iraſcens vltro conuicia dico.

VESPERTILIO 28

Nox mihi dat nomen primo de tempore noctis.
Pluma mihi non eſt, cum ſit mihi penna volãtis,
Sed ſedeo in tenebris, nec me committo diebus.

ERICIVS 29

Plena domus ſpinis, parui ſed corporis hoſpes,
Incolumi dorſo telis completus acutis
Suſtinet armatas ſedes habitator inermis

PFDXCXLB 30

Eſt noua noſtrarum cunctis captura ferarum,
Ut ſi quod capias, id tu ti bi ferre recuſes.
Et quod non capias, tecum tamen ipſe reportes

FENIX 31

Vita mihi mors eſt, morior ſi cœpero naſci.
Sed prius eſt fatum, læta quam lucis origo.
Sic ſolos † mares ipſos mihi dico parentes.

TAV-

T A V R V S 32

Mœchus eram regis, ſed lignea mẽbra ſequebar,
Et Cilicus mons ſum, ſed non ſum nomine ſolo,
Et vehor in cælis, & in ipſis ambulo terris.

L X P X S 33

Dentibus inſanis ego ſum qui vinco bidentes
Sanguineas prædas quærens, victuſq. cruentos,
† Multaq. cum rabie vocẽ quoq. tollere poſsum.

V V L P I S 34

Exiguum corpus, ſed cor mihi corpore maius,
Sum verſuta dolis arguto calida ſenſu,
Et fera ſum ſapiens, ſapiens fera ſi qua vocatur.

C B P R B 35

Alma Iouis nutrix longo veſtita capillo,
Culmina difficili peragrans ſuper ardua greſſu,
Cuſtodi pecorum tremula reſpondeo lingua.

P O R C V S 36

Setigeræ matris fecunda natus in aluo
De ſuper exalto virides expecto ſaginas,
Nomine numen habens, ſi littera prima periret.

MXLB 37

Diſsimilis patri, matris diuerſa figura,
Alterni generis, generi non apta propago.
Ex alijs naſcor, nec quiſquam naſcitur ex me.

TYGRIS 38

A fluuio dicor, fluuius vel dicitur ex me,
Iunctaq. ſum vento, vento velocior ipſo.
Et mihi dat ventus natos, nec quæro maritum.

CENTAVRVS 39

Quattuor inſignis pedibus, manibusq. duabus,
Diſsimilis mihi ſum, quia ſum nõ vnus, et vnus.
Et vehor, & gradior, quia me mea corpora por-
(tant.

PBPBVFR 40

Grãde mihi caput eſt, intus ſunt mẽbra minuta.
Pes vnus ſolus, ſed pes longiſsimus vnus.
Et me ſomnus amat, proprio nec dormio ſomno.

MBLVB 41

Anſeris eſſe pedes ſimiles mihi nolo negare;
Nec duo ſunt tantum ſed plures ordine cernis,
Et tamen hos ipſos omnes ego porto ſupinos.

BETA 42

Beta vocor græce, ſed non ſum tota latina,
Pauperibus ſemper proponor namq. tabernis,
† Ante tamen mediã cauponis ſcripta tabernã,
In terris naſcor, lympha lauor, vnguor oliuo.

CXCXRBKTB 43.

Pendeo dum naſcor, rurſus dum pendeo naſcor,
Pendens commoueor ventis, & nutrior vndis:
Pendula ſi non ſim, non ſum iam iamq. futura.

C. F P. B. 44.

Mordeo mordentes, vltro nõ mordeo quemquã:
Sed ſunt mordentem multi mordere parati;
Nemo timet morſum, dentes qui non habet vllos.

R. P S B. 45

Purpura ſum terræ pulchro perfuſa rubore;
Septaq. ne violer telis defendor acutis:
O felix longo ſi poſſim viuere fato.

L K L. K X M 46

Magna quidẽ non ſum, ſed ineſt mihi maxima (virtus;
Spiritus eſt magnus, quamuis ſim corpore paruo;
Nec mihi germen habet noxã, nec culpa ruborẽ.

TXS

141

T X S 47

Dulcis odor nemoris flamma, fumoq. fatigor,
Sed placet hoc ſuperis, medios quod mittor ĩ ignes
† Cum mihi peccandi meritum natura negauit,
Nec mihi pœna datur, ſed habetur gratia dãti.

M Y R R A 48

De lacrimis, & pro lacrimis mea cœpit origo.
Ex oculis fluxi, ſed nunc ex arbore naſcor.
Lætus honor frondis, triſtis ſed imago doloris.

F B X R 49

Dens ego ſum magnus populis cognatus Eois.
Nunc ego per partes in corpora multa receſſi.
Nec remanent uires, ſed formæ gratia manſit.

F E N U M 50

Herba fui quondam uiridi de gramine terræ,
Sed calybis duro mollis præciſa metallo
Mole premor propria, tecto concluſa ſub alto.

M P L B 51

Ambo ſumus lapides, una ſumus ambo iacẽtes,
Quam piger eſt unus, tantum non eſt piger alter,
Hic manet inmotus, non deſinit ille moueri.

FBRKNB 52

Inter ſaxa fui, quæ me contrita premebant,
Vix tamen effugi totis conliſa medullis,
Et nunc forma mihi minor eſt, ſed copia maior.

VKTKS 53

Nolo thoro iungi, quamuis placet eſſe maritum,
Nolo virũ thalamo, per me mea nata propago eſt,
Nolo ſepulcra pati, ſcio me ſubmergere terra.

HAMVS 54

Exiguum corpus flexu mucronis adunci
Fallaces eſcas medio circumfero fluctu.
Blandior vt noceam, mortis præmitto ſaginam.

BCXS 55

Longa ſed exilis tenui producta metallo,
Mollia duco leui comitantia vincula ferro,
Et faciem læſis, & nexum reddo ſolutis.

CALIGA 56

Maior eram longe quondam, dũ vita manebat,
Sed nunc exanimis lacerata, ligata, reuulſa,
Dedita ſum terræ, tumulo ſed condita nõ ſum.

CLA-

CLAVVS CALIGARIS 57

In caput ingredior, quia de pede pendeo ſolo,
Vertice tango ſolum, capitis veſtigia ſigno,
Sed multi comites caſum patiuntur eumdem.

CBPKLLXS 58

Findere me nulli poſſunt, præcidere multi,
Sed ſum verſicolor, albus quandoq. futurus.
Malo manere niger, minus vltima fata verebor

PILA 59

Non ſum cincta comis, & nō ſum cōpta capillis,
Intus enim crines mihi ſunt, quos nō videt vllus.
Meq. manus mittunt, manibusq. remittor in au-
(ras.

SFRRB 60

Dentibus innumeris ſum toto corpore plena.
Frondicomam ſobolem morſu depaſcor acuto,
Mando tamen fruſtra, quia reſpuo præmia dētis

PPNS 61

Stat nemus in lymphis, ſtat in alto gurgite ſilua,
Et manet in medijs vndis inmobile robur.
Terra tamen mittit, quod terræ munera præſtat.

SPON-

SPONGIA. 62

Ipſa grauis nō ſum, ſed aquæ mihi pōdus inhæſit
Viſcera tota tumen patulis diffuſa cauernis,
Intus lympha latet, ſed non ſe ſponte profundit,

TRIDENS 63

Tres mihi ſunt dentes, vnus quos continet ordo,
Unus præterea dens eſt, & ſolus in imo.
Meq. tenet numē, ventus timet, æquora curant.

SBGKVVB 64

Septa graui ferro, leuibus circumdata pennis,
Aera per medium volucri contendo meatu.
Miſſaq. diſcedens, nullo mittente reuertor.

FLAGELLVM 65

De pecudis dorſo pecudes ego terreo cunctas,
Obſequio cogens moderati lege doloris,
Nec volo contemni, ſed contra nolo nocere.

LBTFRNB 66

Cornibus apta cauis tereti perlucida giro,
Lumen habens intus diuini ſideris inſtar.
Noctibus in medijs faciem non perdo dierum.

SPECVLAR 67

Perſpicior penitus nec luminis arceo viſus,
Tranſmittens oculos intra mea mēbra meantes,
Nec me tranſit hiems, ſed ſol tamē emicat in me.

SPECVLVM 68

Nulla mihi certa eſt, nulla eſt peregrina figura,
Fulgor ineſt intus radianti luce coruſcus,
Qui nihil oſtendit, niſi quidquid viderit ante.

RATIO 69

Lex bona dicendi, lex ſum quoque bona tacendi,
Vis auide lingua finis ſine fine loquendi.
Ipſa fluens dum verba fluūt, vt lingua quieſcat.

PXTFXS 70

Merſa procul terris in ceſpite lympha profundo,
Non niſi perfoſſis poſſum procedere riuis,
Labor & ad ſuperos alieno ducta labore.

TVBVS 71

Truncum terra tegit, latitant in ceſpite lymphæ,
Alueus eſt modicus, qui ripas non habet vllas,
In ligno vehitur medio, quod ligna vehebat.

X T F R 72

Non ego continuo morior,dum ſpiritus exit,
Nãredit aſsidue,quamuis et ſæpe recedit. (tas.
Nũc mihi magna meæ eſt animæ,nũc nulla facul-

L B P K S 73

Deucalion ego ſum crudelis hoſpes in vnda,
Adfinis terræ,ſed longe durior illa.
Littera decedat,volucris tum nomen habebo.

C B L X 74

Euaſi flammas,ignis tormenta refugi,
Ipſa medela meo pugnat contraria fato.
Ardeo de lymphis,medijs incendor ab vndis.

S K L F X 75

Semper ineſt intus,ſed raro cernitur ignis,
Intus enim latitat,ſed ſolos prodit ad ictus.
Nec lignis,vt viuat,eget,nec vt occidat,vndis.

R P T F 76

Quattuor æquales currunt ex arte ſorores.
Sic quaſi certantes cum ſit labor omnibus vnus,
Et prope ſunt pariter, nec ſe contingere poſſunt.

S C B L F 77

Nos ſumus ad cæli quæ ſidera ſcandimus alta
Concordi fabrica,quas vnus continet ordo.
Vt ſimul herentes per nos mittantur ad auras.

S C P P B 78

Mundi magna parens laqueo connexa tenaci,
Iuncta ſolo plano manibus comprenſa duabus,
Ducor vbiq.ſequens,et me quoq.iũcta ſequũtur.

TINTINNABVLVM 79

Ære rigens curuo patulo componor in orbe
Mobilis eſt intus lingua crepitantis imago.
Non reſonat poſitus, motus longeq. reſultat.

C O N D I T V M 80

Tres olim fuimus qui nomine iungimur vno,
Ex tribus eſt vnus, & tres miſcentur in vno.
Quiſq. bonus per ſe, melior qui continet omnes.

ACETVM EX VINO. 81

Sublatum nihil eſt, nihil eſt extrinſecus auctum.
Quod fuerat non eſt,cœpit,quod non erat, eſſe.
Nec tamen inueni,quidquid prius ipſe reliqui.

MBLXM 82

Nomen habens gracũ contentio magna dearum
Fraus iuuenis pulchri multarum cura ſororum.
† Hoc volo ne breuiter mihi ſyllaba prima lega-
Excidium Troia, dum bella cruēta peregi. (tur.

PERNA 83

Nobile duco genus magni de gente Catonis,
Vna mihi ſoror eſt, plures licet eſſe putentur.
De fumo facies, ſapientia de mare nata eſt.

MBLLFXS 84

Non ego de toto mihi corpore vindico vires,
Sed capitis pugna nulli certare recuſo.
Grande mihi caput eſt, totum quoq; corpus in illo.

PISTILLVS 85

Contero cuncta ſimul virtutis robore magno.
Vna mihi ceruix, capitum ſed forma duorum.
Pro pedibus caput eſt, nã cetera corpora nõ ſunt

86

† Rubida curua, capax alienis humida guttis,
Luminibus falſis auri mentita colorem,
Dedita ſudori, modico ſuccumbo labori.

BBL-

B B L N F X M 87

Per totas ædes innoxius introit ignis,
Eſt calor in medio magnus,quem nemo veretur.
Non eſt nuda domus, ſed nudus conuenit hoſpes.

T F S S F R A 88

Dedita ſum ſemper voto non certa futuro,
Iactor in ancipites varia vertigine caſus.
Non ego mæſta malis,non rebus læta ſecundis.

P F C X N K B 89

Terra fui primo latebris abſcondita duris,
Nunc aliud pretium flammæ,nomenq. dedere.
Nec iam terra vocor,licet ex me terra paretur.

MVLIER GEMINOS PARIENS 90

Plus ego ſuſtinui,quam corpus debuit vnum.
Tres animas habui, quas omnes intus habebam.
Diſceßere duæ,ſed tertia pene ſecuta eſt.

MILES PODAGRICVS 91

Belli potens olim ſæuis metuendus in armis,
Quinq.pedes habui,quod † nūquā nemo negauit
Nunc mihi vix duo ſunt, inopem me copia fecit.

LXSCXS 92

Cernere iam fas eſt, quod vix tibi credere fas eſt.
Vnus ineſt oculus, capitum ſed millia multa.
Quidquid habet vēdit, quod nō habet vnde pa-
(rabit?

FVNAMBVLVS 93

Inter luciferum cælum, terraſque iacentes,
Aera per medium doctus meat arte viator.
Semita ſed breuis eſt pedibus nec ſufficit ipſis.

DE VIII. VT TOLLAS vij. & vi. remaneant. 94

Nunc mihi iam credas, fieri quod poſſe negatur.
Octo tenens manibus, ſed me mōſtrante magiſtro,
Sublatis ſeptem, reliqui tibi ſex remanebunt.

XMBRB 95

Inſidias nullas vereor de fraude latentes,
Nam Deus attribuit huius mihi munera formæ,
Quod me nemo mouet, niſi qui prius ipſe moue-
(tur.

ECCO 96

Virgo modeſta nimis, legem bene ſeruo pudoris,
Ore procax non ſum, nec ſum temeraria lingua,
Vltro nolo loqui, ſed do reſponſa loquenti.

SP-

146

SPMNXS 97

Sponte mea veniens varias oſtendo figuras,
Fingo metus varios nullo diſcrimine veros,
Sed me nemo videt, niſi qui ſua lumina claudit.

MONUMENTUM 98

Nomē habens hominis poſt ultima ſaxa relinquo,
Nomen inane manet, ſed dulcis vita profugit.
Vita tamen ſupereſt morti poſt tempora vita.

ANCHORA 99

Mucro mihi geminus ferro coniungitur vnco.
Cum vento luctor, cum gurgite pugno profundo.
Scrutor aquas medias, ipſas quoq. mordeo terras.

IOSEPHI. CASTALIONIS
ANCONITANI

In Aenigmata Sympoſij Poetæ Scholia.

INCIPIVNT Aenigmata Sympoſij Poetæ] vt in alior. quoque auctor. manuſcriptis libris, incipit liber primus, explicit liber ſecundus, & in Vibij Sequeſtris V. L. incipiunt amnes, expliciti fontes.

[Hæc quoq. Sympoſius] hoc principio vſus eſt Vergilius lib. ſecundo Georg. Te quoque magna pales, &c. & lib. vij. Aen. Tu quoq. litoribus noſtris, & Columella, Hortorum quoque te cultus Siluine docebo.

[De carmine luſit inepto] ὑποπληρωματικῶς de, vt poſt, magno de nomine, & ſubito de carmine [Sic tu es ex te doces] ſcriptoris librarij mendum forte tolletur, ſi, vt excuſum eſt, legetur. Sic tu Sexte doces, nulla litterarum mutatione, luxatas fere tantum litteras coniungimus, quod vitium cum minus vidiſſet is, qui primus Fortunatū proximis annis edidit verſum corrupit in epithaph. Roriciorum. Eſt enim in Vaticano codice Accum ente gradus penomine ſanguine nexi, ſic emendans, Accumulante gradus prænomine ſanguine nexi, quem verſum nos olim ita correximus, vt poſtea vidimus in alio libro manuſcripto. Actu,

mente,

mente,gradu, ſpe, nomine, ſanguine nexi. Quod Fortunati opus bis iam impreſſum, nos emendatum,atq. auctum quattuor prope libris propediem emittemus ex fide libri manuſcripti,quo vtor iamdiu permittente ornatiſſimo viro Antonio Maria Gratiano Secretario Cardinalis Commendoni ob ſingularem virtutem, ſapientiam, & pietatem omniũ ſermonibus cõlaudandi,itaq; Sympoſium ĩprimi volebam, ſed Typographus pleraſq. caſtigationes,quas ipſe in ora libri adnotaueram,operi ſubla tis ſuſpectis inſeruit,ne quid marginem occuparet. [Annua Saturni dum tempora feſta redirenr] Saturnalia. de feſtis ſaturnalibus, Aulus Gellius lib. XVIII. Cap. II. multa,quæ ad hunc locum pertinent, narrat. [madidæ facundia linguæ] ebriæ. ſic Tibullus, & alij. [Sed friuola multa locuta] Feſtus Pomp. friuola ſunt proprie vaſa fictilia quaſſa, vnde dicta verba friuola, quæ minus ſunt fide ſubnixa[mediocre inſtar] Verg. tantum inſtar in ipſo eſt [ponere diuerſa] a finalem contra vulgatas grãmaticor. præceptiones produci a poetis adnotauit etiam Giſanius in Lucretium.[Inſanos inter ſanum non eſſe neceſſe eſt.]Horat.Satyra III. lib. II. inſanos qui inter vereare inſanus haberi [quid non capit ebria muſa?] ſic legimus cum interrogationis nota.vt Horat.quid non ebrietas deſignat?

I.

[GRBPHKXM] graphium.notis plerq.tiruli in V.L.quibus ænigmata ſoluuntur,ſunt obſcurati.

quod

quod ſi proximas ſequẽtes conſonantes pro vocalibus hoc eſt B. pro A. F. pro E. K. pro I. P.pro O. X. pro V.adhibitas tenebimus,nullo negotio legentur. Suetonius C. Iul. Cæſarem ijſdem fere notis vſum eſſe tradit Graphium,quod & ſtilũ dicimus. Seneca lib.quarto qæſtionum naturalium. Digitũ ſuum bene acuto graphio pungebant. [De ſummo planus]duplicem ſtili vſum,ſiquidem ex altera parte litteras exarabant, ex altera ceram, vbi erant inſcalptæ litteræ,complanabant, & Aurelius Prudentius in Hymno S. Caſſiani Martyris prodit his verſibus.

Inde alij ſtimulos, & acumina ferrea uibrant,
Qua parte aratis cera ſulcis ſcribitur,
Et qua ſecti apices abolentur,& æquoris hirti
Rurſus niteſcens innouatur area.

Huc ſpectat illud Horat. Sæpe ſtilum vertas,& Cic. vertit ſtilum in tabulis ſuis, quare legendum etiam iudicauimus verſor vtrinq.manu & ſi vtranq.in veteri libro ſit ſcriptum mendoſe,[reuocat]delet, abradit,oblitterat Horat.volat inreuocabile verbum.

2

[Dulcis amica Dei] quid? ſi, Deis legas. ideſt grata Deis,qui fiſtula vterẽtur[Semper vicina profundis] M. Cato, M.Varro, Plinius auctores ſunt arundinẽ locis depreſſis,atque humidis gaudere. Columella lib. IV. cap. XXXII. vallibus proſperius quam cliuis, fluminumq. ripis,& limitibus,ac vepretis commodius quam medijs agris deponi confirmat [ſuaue

canens muſis] Verg.Silueſtrē tenui muſam meditaris auena, & Lucretius fundere muſam dixit his verſibus. cum Pan.

Pinea ſemiferi capitis velamina quaſſans
Vnco ſæpe labro calamos percurrit hiantis
Fiſtula ſilueſtrem ne ceſſet fundere muſam.

[Et nigro perfuſa colore
Nuntia ſum linguæ digitis ſignata magiſtris.] calamo etiam ex atramento veteres vſos eſſe ad litteras in chartis pingendas Horat.indicat, incomptis adlinet atrum Tranſuerſo calamo ſignum.

3

[Ingenitum]innatum,inſitū, vt multis auctoribus probamus in Rutilium Numatianum ad illum verſum Ingenitum cumulant vrbis honore decus.

4

[Pando domus clauſas,iterū ſecludo patentes]nos, ſed cludo patentes.Sequitur.n.ſed rurſus ſeruor.

6

Eſt domus in alto, ſedes eſt ſemper in alto. Hic verſus ſpurius eſt.

8

[Sed non ſum nigra colore]quia nox furua.
[Nec mihi dant ſtellę nec intia lucē lumen]nos ſic,
Nec mihi dant ſtellæ lucem , nec Cintia lumen.

9

[Sed ſinus excepit qui me, ſimul ipſe recepit] ideſt ſinus ſiue terræ,ſiue aquæ,qui me excepit, ipſe etiā recepit,ideſt auctus eſt mea copia.

[Vnda

10

[Vnda fui quondam,q. m. c. c. f.] vnde illud.
Mater me genuit eadē mox gignitur ex me.
[Cæli connexa catenis] Horat.in epiſt.
Thraca nec vos, Hebruſq.niuali compede vinctus.

11

[Tacitus ſed non ſonat hoſpes] Horat.
O mutis quoq. piſcibus
Donatura cycni, ſi libeat ſonum.
Vide prouerbium piſcem dixeris, piſce taciturnior
Pierius multa de piſcium ſilentio.

15

[Non poſſum naſci, ſi non occidero matrem] Pierius in Hieroglyphicis, quæ huc referri poſſent multa diligenter congeſſit.

19

[Rauce ſonans] Rauca ſonans, legendum eſſe credimus, vt Verg. Rauca ſonans

22

[Prouida ſum vitæ] Horat. at non incauta futuri.

23

[Improba ſum fateor] vide Pieriū [quid enim glila turpe vereretur]gula, vt ſit pro glila, nemo non videt. [Falſo conterrita vēro]facto vento pro falſo correximus, vt eſt apud Terē.in Eun.vētulū huic ſic facito.

24

[Frugibus non] nos fecimus non frugibus.

25

[Parua m.d.] Hor. in ſerm. [Quod mihi nomē ineſt

D 2 Romæ

Romæ quoq. conſul habebat] in faſſis capitolinis. P. DECIVS. Q.F. M VS. & P. DECIVS. Q.F. Q.N. MVS. viden Sympoſium noſtrum bene doctum, & antiquitatis peritum.

26

[Littera ſum cæli] Martialis. Vnam perdideris ſi Palamedis auem.

27

[Viuo nouem vitas]in luſib. Verg. Pierius in Hieroglyph.[Vtraq. ſum ſēper,nullo cōplexa dolore] Atraq. ex vtraq. fecimus & eſt ſententia, quamuis ſim atra, nihil tamen doleo. ad illud reſpexit quod atrati cognatorum funus proſequebantur. legendū etiam forte nullo conſperſa colore, vt apud Horat. furtiuis nudata coloribus.

28

[Primo de tempore noctis] nox prima, Perſius Sat. v. Et tecum primas epulis decerpere noctes[Pluma mihi non eſt, cum ſit mihi penna volantis] auis non auis.

29

[Incolumi dorſo] forte incolumis dorſum, vt ſit hoſpes incolumis completus dorſum telis [ſedes] ædes fortaſſe.

30

[Eſt noua noſtrarum cunctis captura ferarum]Homer.notum [Sed tu] id tu, reponenduui iudicauimus.

De

31

De Phenice Ouid. xv. Meth. Claudianus, & Lactan. Firm. Vide Pierium in Hieroglyph.

[Sic ſolos mares ipſos mihi dico parentes] mares, habet vetus exemplar, nos cineres legi oportere arbitramur Claudianus quoque phenicis rogum parturientem dicit.

Parturiente rogo curis natura laborat.

32

[Et Cilicus mons ſum] Tibullus inpoſitos Taurus arat Cilicas. Diomedes grammat. de multiplici ſignificatione huius vocabuli inquit, cum dicimus Taurũ, & neſcias vtrũ de armento, an obſcæna corporis parte, an montem, qui eſt in Cilicia, an qui eſt in ſideribus dicamus. [Sed non ſum nomine ſolo] ſolo .i. vno, eſt enim ὁμώνυμον, ſiue πολυώνυμον [vehor in cælis] motu cæli, & ambulo animal in terris.

33

[Victuſq. cruentas] cruentos reſtituimus.

[Multaque cum rabie] vt ſit, cum multa rabie, nec obſtat quod, a. in ablatiuo producatur, nã apud veteres etiam, a. finale breue, aut ſi hoc non probatur, de me encliticam particulam que, & lege Multa cum rabie. vel ſic, multaq. poſſum cum rabie tollere, vt ſit multa quarti caſus [vocem quoque tollere] eripere Verg. Ecl ix. vox Moerin

Iam fugit ipſa, lupi Moerin videre priores.

34

[Cum verſuta] Sum verſuta fecimus.

[Virides

36

[Virides ſaginas].i.glandem decuſſam.

37

De mula vide Pieriũ in Hieroglyphicis.

38

[Iunctaq. ſum vento] idẽ de equabus in Luſitania.

41

[Anſeris eſſe pedes mihi]folia certe quidem maluę, ſunt ſimillima pedibus anſeris.

42

[Beta vocor græce] propter ſecundã litteram Ἄλφα Βῆτα [Pauperibus ſemper proponor nãq. tabernis] ex Perſij Sat. 3. plebeia radere beta,[Martialis ſcribit betas eſſe fabrorum prandia [Ante tamen in c. s. t.] verſus ſpurius eſt. [oliua] oliuo fortaſſe.

43

[Dum pendeo naſcor] forte ſic, dũ pendeo creſco. [Non ſum iam iamq.ventura]pro ventura legendũ putauimus,futura. Hic recitandis exemplis,quibus cucurbitam pendere ſolitam confirmem,ſuperſedere potuiſſem , niſi vel ex hoc intellegere quoſdã voluiſſem,quibus nihil,quod ſui palati non ſit,probari poteſt, Sympoſium noſtrum non adeo rudem ac rerum imperitum eſſe, vt cucurbitæ culturam neſciret. Palladius in Martio de cucurbita inquit, vbi aduleſcere cœperint adminiculis adiuuentur, quæ ſeruantur ad ſemina in ſua vite pẽdeant. Plin. lib.xix. cap.v. cucurbita quoq. omni modo faſtigiatur vaginis maxime vitilibus,coniecta in eas, poſt-

quam

quam defloruit,creſcit qua cogitur forma, plerũq. & draconis intorti figura libertate vero penſili con ceſſa, iam viſa eſt IX. pedum longitudinis & paulo infra, cibis quoq. longiores, tenuioreſq. eo gratiores,& ob id ſalubriores quæ pendendo creuere.

44

[Mordeo mordentes]propter acrimoniam.[dentes quia non habet] lege dentes quia non habeo.Mor dendi verbo de cepe loquens Perſius vſus eſt Sat.4. tunicatum cum ſale mordens cepe.

45

[O felix longo ſi poſsim viuere fato] vide Roſam in luſibus Vergilianis, & Pierium.

46

[Spiritus eſt magnus] lilij alitus acerrimus [nec m. g.h.n.nec culpa ruborem] ad eximium lilij candorem adluſit.

47

[Cum mihi peccandi] hic verſus Sympoſij non eſt. [habetur gratia dandi] danti legendum forte.

48

[De lacrimis] vide apud Ouid.Met. fabulam Mirrhæ [pro lacrimis] fortaſſe per lacrimas.

49

Eois]Verg.Indũ ſanguineo ſi quis violauerit oſtro Forſan ebur. [Nunc ego per partes in corpora multa receſſi] ebur ſectile.

50

[Herba]Verg.nec graminis attigit herbam.

[Ambo

51

[Ambo ſumus lapides] molares.

53

[Maritum] forte maritam.

54

[Flexi] Flexu.

57

[Clauus caligaris] Claui caligares erant, quibus caligæ præfigebantur. Plinius libro 9. cap. 14. Duo lacus Italiæ in radicibus alpium, Larius, & verbanus appellantur, in quibus piſces omnibus annis vergiliarum ortu exiſtunt ſquamis conſpicui crebris atque præacutis clauorum caligarium effigie. idem lib. 34. cap. 18. & alibi.

58

[Malo manere niger minus vltima fata verebor] matura mors gratior, quia citius mortis metu liberabor.

60

[Mando] mando mandis [præmia dentis] ramenta, ſiue retrimenta.

61

[Stat alto] reddidimus, in, ſtat in alto.

62

[Sed non ſe ſponte profundit] niſi premat ſcilicet.

63

[Neq.] legendum, Meq., omnes intellegunt.

64

[Septa grauis ferro] ſepta graui ferro nobis probat.

[Fa-

[Faciem] ſimilitudinem. Ouid. Hæc facies Troiæ cum caperetur erat Iuuen. Sat. x. O qualis facies, & quali digna tabella, Cum getula ducem portaret bellua luſcum.

67

[Specular] Seneca libro quarto Naturalium quæſtionum. Itaq. quamuis cenationem velis, ac ſpecularibus muniant, & igne multo doment hiemem. Columella de cultu hortor. ſed nihilominus ſpecularibus integi debebunt, Iuuenalis Sat. 4. Quæ vehitur clauſo latis ſpecularibus antro.

68

Nulla peregrina] interpoſuimus verbum eſt, nulla eſt peregrina [Niſi quod] niſi quidquid legendum eſſe putauimus.

70

[Et labor] tranſpoſuimus, labor &, [labore] ludit in labor, & labore.

72

[Ineſt] forte, meæ eſt.

73

[Crudelis] propter naufragia [volucris] apis volucris.

75

Verg. initio lib. VI. Aen. quærit pars ſemina flammæ Abſtruſa in venis ſilicis.

76

[Currunt ex arte] Ouid. lib. de arte amandi. Arte citę veloque rates, remoq. reguntur. Arte leuis currus.

77

[Nos ſumus ad cælum quæ ſcandimus alta] quid? ſi ita legas, vt excuſum eſt,

Nos ſumus ad cæli quæ ſidera ſcandimus alta.

[Comitantur] mittantur rectius.

78

[Compreſſa] comprenſſa libentius ſcripſerim hoc ſenſu, quas ſequor manus, ſequuntur me, quibus ſum comprenſa.

79

[Tintinnabulum] Iuu. Sat. vi. & tintinnabula credas Pulſari. [Motus quoq. longe] lege, motus longeq. poſitus autem & motus ſubſtantiua ſunt.

81

[Actum] auctum fecimus, vt ad ſublatũ referatur.

82

[Nomen habens græcum] Μᾶλον ideſt malum, quo latini vtuntur imitati Dores, qui pro H, A, vſurpãt. [Iuuenis pulchri] Hippomenes vide Ouid. x. Meth. [multarum cura ſororum] Heſperidum Verg. lib. iv. Heſperidum templi cuſtos. vide ibi Seruium Plin. lib. xxxvii. cap. ii. Theomenes dicit iuxta Syrtim magnam hortum heſperidum eſſe, ex quo in ſtagnum cadat, colligi vero a virginibus Heſperidum [Hoc volo] & hic verſus addititius eſt.

83

Sapientia] ſapor.

86

Titulus huius ænigmatis deſideratur.

[Ru-

[Rubida] fortaſſe Roſcida.

87

[Non eſt nuda domus] vide Vitruuium de balneis apodytirion, locus vbi veſtes deponebant in balneis.

89

[Pretium flammæ, nomenq. dedere] vnde aurum putum, purum.

91

[Quinque pedes habui] propter longitudinem corporis fortaſſe, & ludit in ambiguo verbo quinque pedum, quod ad menſuram pertinet, & duum pedum, quos podagra debilitabat [inopem me copia fecit] Ouid. tertio Meth. Quod cupio mecum eſt, inopem me copia fecit.

97

[Figuras] ideſt imagines [niſi qui] adde ſua, niſi qui ſua.

98

[Poſt vltima ſaxa relinquo] Iuuenalis Sat. x. tituliq. cupido Hæſuri ſaxis cinerum cuſtodibus.

99

[Mordeo terras] ſic fibula mordere dicitur apud Vergilium.

FINIS.

Index Aenigmatum.

A

ACETVM ex vino 81
Acus 55
Ancora 99
Anulus 3
Aranea 17
Arundo 2

B

Balneum 87
Beta 42

C

Caliga 56
Calx 74
Capillus 58
Capra 35
Catena 5
Centaurus 39
Cepa 44
Clauis 4
Clauus caligaris 57
Coclea 18
Conditum 80
Cornicula 27
Cucurbita 43

E

Ebur 49
Echo 96
Ericius 29

F

Farina 52
Fenix 31
Fenum 50
Flagellum 65
Flumen,& piſces 11
Formica 22
Fumus 7
Funambulus 93

G

Glacies 10
Graphium 1
Grus 26
Gurgulio 24

H

Hamus 54

L

Lapis 73
Laterna 66
Lilium 46
Lupus 33
Luſcus 92

M

Malleus 84
Malua 41
Malum 82
Miles Podagricus 91
Mola 51
Monumentum 98
Mulier geminos pariens 90

Mus

Mus	25	*Scopa*	78
Muſca	23	*Serra*	60
Myrra	48	*Silex*	75
N		*Somnus*	97
Nauis	13	*Specular*	67
Nebula	8	*Speculum*	68
Nix	12	*Spongia*	62
P		**T**	
Papauer	40	*Talpa*	21
Pecunia	89	*Taurus*	32
Peducula	30	*Tegula*	6
Perna	83	*Teſſera*	88
Pila	59	*Teſtudo*	20
Piſtillus	85	*Tinea*	10
Pluuia	9	*Tintinnabulum*	79
Pons	61	*Tridens*	63
Porcus	36	*Tubus*	71
Pullus in ouo	14	*Tus*	47
Puteus	70	*Tygris*	38
R		**V**	
Rana	19	*Veſpertilio*	28
Ratio	69	*Vitis*	53
Roſa	45	*Vipera*	15
Rota	76	*Vmbra*	95
S		*Vter*	72
Sagitta	64	*Vulpis*	34
Scala	77		

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGENDA.

In pag.1.verſ.14. quod pag.2.v.11. patentes pag.8.v.6. quoque 10.9.parati 10.quia 14.2.tument SBGKTTB 17.8.crepitantis 19.7.duris ibid.10.debuit 20.2.capitum 20.3. haber 28.1.faſtis 28.22.reponendũ 30.21.vite 31.19.Eois 32.13.liberabor.

Omnia ſunt folia.

† A B C D E.



R O M Æ,
Apud Franciſcum Zannettum.
M. D. LXXXI.
Cum Licentia Superiorum.

FINE